

DE NOTIONE SACRIFICII.

1. Definitio sacrificii.

Sacrificium definitur PROPRIUM SYMBOLUM AFFECTUS SACRIFICALIS.

Affectus: habitus actusque tum intellectus tum voluntatis.

Sacrificalis: qui est latreuticus, propitiatorius, eucharisticus, et impetratorius.

latreuticus: qui soli Deo debetur, Creatori scilicet, Primo Agenti, Summo Bono, et Fini Ultimo.

propitiatorius: qui Deo debetur propter peccata.

eucharisticus: qui Deo debetur propter beneficia collata.

impetratorius: qui Deo debetur propter beneficia conferenda.

N.B. "Affectus sacrificalis" designat illum statum mentis et cordis qui homini convenit erga Deum 1) qua Deum (et ideo est latreuticus), 2) qua peccatis offensum (et ideo est propitiatorius), 3) qua fontem omnium beneficiorum tam praeteritorum quam futurorum (et ideo est eucharisticus et impetratorius). Unde affectus sacrificalis dicit brevem synthesin virtutis religionis qua recte ordinatur mens et cor hominis erga Deum.

Symbolum: obiectiva manifestatio sensibilis et per se socialis.

manifestatio: transitus de ignoto, obscuro, confuso in notum, clarum, distinctum.

obiectiva: quae ipsa manifestatione habetur; opponitur manifestationi relativae quae, nisi cognitionem alteri auget, frustratur.

sensibilis: quae sub sensibus externis (oculis, etc.) cadit.

socialis: quae ad communitatem pertinet secundum aliquam rationem.

per se; dicitur "per se socialis" quia in stadio parum evoluto societatis humanae, symbolum forte individuale esse potuit; puta sacrificia patriarcharum.

N.B. "Symbola" duplex fundamentum habent in natura humana. Aliud enim est fundamentum in natura hominis sensibili et corporali: unde oportet ut quod homo interius sentit, sensibiliter et corporaliter exprimat. Aliud vero est fundamentum in natura hominis sociali: unde oportet ut quod singuli homines interius sentiunt, congregati communiter expriment.

Proprium: quod gradum perfectionis debitum possidet.

N.B. Inter omnes constat non quodlibet symbolum affectus sacrificialis esse verum et proprium sacrificium; at quinam gradus perfectionis requiratur et sufficiat ut tale symbolum sit verum et proprium sacrificium, acerrime disputatur. Quam quaestionem methodologice evitamus asserendo indeterminatum quoniam gradum perfectionis requiri ut symbolum affectus sacrificialis sit verum sacrificium.

2. Definitionis iustificatio.

Ea definitio methodologice iustificatur quae elementa certa conservat et elementa dubia indeterminate amplectitur.

Atqui tradita definitio certa conservat sed dubia indeterminate amplectitur.

Ergo tradita definitio methodologice iustificatur.

Maiores videtur evidens.

Minor per partes probatur:

a) Tradita definitio elementa certa sacrificii conservat. Assertit enim sacrificium esse symbolum affectus sacrificialis. Quod assertum est certum: positum enim ab Augustino et Aquinate in omnes fere theologorum elucubrations est transfusum.

Dicit enim Augustinus: "Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est" De Civitate Dei, X, v.

Confirmat Aquinas: "Oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum: significat autem sacrificium quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium quo anima se ipsa offert Deo" II-II, q. 85, a. 2.

Resonat D.T.C.: vide t. 10, col. 1279s.

b) Tradita definitio elementa dubia indeterminate amplectitur.

Tota et diuturna disputatio de essentia sacrificii proprie dicti ad hanc quaestionem reducitur: Quid requiratur et sufficiat ut affectus sacrificialis symbolizetur proprie?

Atque tradita definitio hanc dubiam quaestionem indeterminate resolvit asserendo sacrificium esse proprium symbolum affectus sacrificialis.

Ergo tradita definitio elementa dubia indeterminate amplectitur.

3. De Proprietate Symboli.

Symbolum posuimus in genere manifestationis obiectivae. Iam vero ideo fit manifestatio obiectiva ut perfectio superior in ordine inferiori reproducatur seu exprimatur. Sicut Deus perfectionem infinitam in ordine finito manifestat creando, ita homo perfectionem spiritualem in ordine sensibili et sociali repraesentat symbolizando. Unde notavit Sorokin, sociologista eminentissimus, ubi cultura est religiosa, artes poeticas, pictorias, etc., esse symbolis refertas.

Sequitur symbolum propriam esse manifestationem obiectivam propriam. At proprie reproducitur superior perfectio in ordine inferiori si analogica quaedam proportio existit inter inferius manifestans et manifestatum superius. E contra, impropria est obiectiva manifestatio si loco analogicae proportionis non invenitur nisi aequivoca quaedam similitudo.

Quibus dictis, definiri potest symbolum proprium.

Symbolum proprium est quod non aequivoca similitudine sed analogica quadam proportione repraesentat in ordine inferiori et sensibili perfectionem spiritualem.

Quae tamen definitio, etsi conceptus clarificet et ordinet, minus tamen est utilis ad proprietatem symbolorum cognoscendam atque mensurandam. Unde praeter abstractam definitionem addimus tria capita magis specifica e quibus oriri potest symboli proprietates.

a) Proprietas symboli habetur in primis e naturali aptitudine rerum actionumve ad significandum seu repraesentandum. Puta, naturaliter et sponte quadam sua affectus sacrificialis repraesentatur symbolice quando solmenitur animal occiditur, eius sanguis loco speciali effunditur, eius corpus adstante plebe comburitur. Nam praeter omnem conventionem humanam vel legitimam legitimam institutionem, quid aliud nisi symbolum affectus religiosi per tales actiones intendi possit?

Dicamus ergo eo maiorem esse symboli proprietatem quo maior sit naturalis aptitudo rerum actionumve ad significandum.

b) At aliud etiam est caput proprietatis in symbolis. Quantumvis proprium sit symbolum ex naturali aptitudine, obscura sane et confusa manet significatio determinatae perfectionis spiritualis. Puta, holocausta fieri posse vel in cultum Dei veri vel in cultum daemoniorum, vel in spiritu et veritate vel superstitiose. Quid repraesentent e sola naturali aptitudine numquam determinabitur.

Unde aliud est caput proprietatis symbolorum, scilicet, conventio, lex, institutio. Nam quo certior, quo clarior, quo distinctior est symboli significatio, eo maior est eiusdem proprietates. Quae certitudo, claritas, distinctio magis habetur per legem iure legitimo latam quam per conventionem sponte ortam, et iterum magis habetur per institutionem divinam quam humanam.

Porro, sicut forma est praestantior materia, ita conventio, lex, institutio magis confert ad proprietatem symboli quam rerum actionumve aptitudo naturalis.

c) Tertium denique est caput proprietatis in symbolis, nempe, realis coniunctio quae intercedit inter symbolum manifestans et perfectionem spiritualem manifestandam.

Quae realis coniunctio potest esse moralis uti in sacrificiis cruentis veteris legis ubi morali aestimatione animal homini substituebatur et pro homine Deo offerebatur.

At ista realis coniunctio potest esse etiam physica uti in summo sacrificio D.N.I.C. qui in proprio corpore symbolum affectus sui sacrificialis in ara crucis exprimebat.

Ergo propter realem coniunctionem inter symbolum et symbolizatum augetur proprietates symboli.

4. Prima definitionis applicatio.

In primis definitio est applicanda ad sacrificium perfectum omnibusque numeris absolutum, nempe, sacrificium crucis quod dicitur.

Ubi affectus sacrificialis maxime perfectus est representandus.

Ubi hic affectus sacrificialis singularis prorsus et perfectissimus summa proprietate representatur.

Nam summa est aptitudo naturalis ad significandum affectum sacrificialem ubi mors violenta effuso sanguine vitam pretiosissimam interemit.

Summa praeterea est huius significationis certitudo, claritas, distinctio ubi lex et prophetae et ipse princeps legislatorum et prophetarum, Dominus Iesus, declarant auctoritate divina quid per istum symbolum naturale ~~sic intelligendum~~ significetur.

Artissima denique inter ordinem spiritualem et sensibilem est coniunctio quae intercedit inter animam et corpus unius eiusdemque hominis.

Quibus omnibus simul sumptis et perspectis, sane dicendum est non per aequivocam similitudinem sed analogica proportionem sacrificium crucis representare seu symbolizare affectum Christi sacrificialem.

Unde sacrificium crucis est symbolum proprium affectus sacrificialis Christi morientis.

5. Altera definitionis applicatio.

Deinde definitio est applicanda ad sacrificium eucharisticum quo proprie symbolizatur sacrificialis affectus corporis Christi mystici.

a) In primis ergo sacrificium eucharisticum proprie symbolizat affectum sacrificialem ipsius Christi capitis corporis mystici. Nam sacrificium eucharisticum est proprium symbolum sacrificii crucis.

Sed sacrificium crucis est proprium symbolum affectus sacrificialis Christi capitis.

Mediate ergo sed vere sacrificium eucharisticum est proprium symbolum affectus sacrificialis Christi capitis.

Consequentia valet. Nam symbolizatio, representatio, manifestatio est relatio transitiva. Si A est maius B, et B est maius C, tunc A est maius C. Similiter quod representat representans, representat primum representatum. Quod proprie representat proprie representans, proprie representat primum representatum.

Proinde, sacrificium representat eucharisticum proprie representat sacrificium crucis.

Factum representationis asseritur a Concilio Tridentino: "quo cruentum illud ~~in~~ semel in cruce peragendum representaretur" DE 938. Quod factum ante asseruerunt Augustinus et Aquinas; post resonarunt theologi.

Proprietatem deinde repraesentationis invenimus eam quae analogica proportione se habet ad affectum sacrificalem Christi qua Capitis corporis mystici. Mystico enim corpori proportionatur symbolum mysticum, rebus et verbis apparentibus sed latente praeterea realitate compositum.

Et rerum quidem naturalis aptitudo non est ad sacrificium crucis repraesentandum sed ad idem sacrificium caena sacrificali participandum.

Verborum vero significatio clare et distincta denotat sacrificium crucis. Panis enim dicitur corpus illud quod traditum est. Vinum deinde dicitur sanguinis sanguis novi testamenti effusus in remissionem peccatorum.

Unde et ipsis rebus qua distinctis advenit significatio sacrificii crucis: quatenus enim panis pro corpore et vinum pro sanguine separatim ponuntur, significatur separatio illa realis corporis sanguinisque Christi in ara crucis, unde et Paulus, "Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat" I Cor 11, 26.

Cui repraesentationi in rebus et verbis existenti accedit institutio ipsius Christi. Hoc, inquit, facite in mei memoriam. Et quidem in memoriam mortis sacrificalis uti ipse testatus est asserendo "corpus pro vobis traditum" et "sanguinem novi testamenti effusum in remissionem peccatorum." Unde ex institutione Christi ideoque iure divino eucharistia est proprium symbolum sacrificii crucis.

Denique ex reali coniunctione, ne dicam identitatem quandam, eucharistia est proprium symbolum sacrificii crucis. Nam eadem est victima (DB 940) cum idem sit corpus et idem sanguis. Idem praeterea est sacerdos principalis (DB 940), nam vis verborum consecrationis est virtus Christi ministri excellentiae. Sicut enim vere quando Petrus vel Judas baptizat, Christus baptizat, multo magis quando sacerdos quilibet consecrat, Christus consecrat. Eatenus ergo se extendit identitas inter sacrificium crucis et eucharistiam ut, testante Tridentino, sola offerendi ratio differat DB 940. Quae differentia sane non aufert proprietatem symboli; cum aliud sit sacrificium crucis et aliud sacrificium eucharisticum, aliqua diversitas intercedat necesse est.

Concludimus ergo eucharistiam propter rerum verborumque significationem, propter institutionem ipsius Christi, propter miram illam identitatem ~~partitalem~~, esse proprium symbolum sacrificii crucis.

Sed sacrificium crucis supra demonstratum est esse proprium symbolum affectus sacrificalis Christi Capitis; et praeterea symbolizatio demonstrata est relatio transitiva; ergo concludendum quod eucharistia est proprium symbolum affectus sacrificalis Christi Capitis corporis mystici.

sacerdotis
et hostiae,

b) Deinde, sacrificium eucharisticum non solum est symbolum proprium affectus sacrificialis Christi Capitis sed etiam est symbolum proprium affectus sacrificialis membrorum seu ecclesiae. Secunda haec pars iam est demonstranda.

Porro, affectus sacrificialis ecclesiae dupliciter considerari potest, nempe, principiatiue vel terminatiue.

Principiatiue sumitur affectus sacrificialis ecclesiae in suo fonte, scilicet, quatenus a Christo Capite per sacrificium crucis sacrificio eucharistico continuatum atque extensum ad ecclesiam est derivandus.

Terminatiue sumitur affectus sacrificialis ecclesiae prout actu existit in membris ecclesiae, nempe, non quatenus procedit a fonte in membra sed quatenus iam a membris est receptus.

Proinde sive principiatiue sumitur sive terminatiue, dicendus est affectus sacrificialis ecclesiae proprie symbolizari in sacrificio eucharistico. Aliter tamen et aliter.

Proprie enim atque essentialiter affectus sacrificialis ecclesiae principiatiue sumptus representatur in sacrificio eucharistico.

Sed proprie et tamen accidentaliter affectus sacrificialis ecclesiae terminatiue sumptus representatur in sacrificio eucharistico.

Tria ergo tractemus. Primo demonstrandum erit affectum sacrificalem ecclesiae principiatiue sumptum symbolizari proprie in sacrificio eucharistico ratione analogicae proportionis. Secundo idem erit demonstrandum ratione exterius apparentium, institutionis, realisque coniunctionis. Tertio demonstrandum erit proprie sed accidentaliter in sacrificio eucharistico symbolizari affectum sacrificalem ecclesiae terminatiue sumptum.

α

c) Primo igitur ratione analogicae proportionis affectus sacrificialis ecclesiae principiatiue sumptus proprie in sacrificio eucharistico symbolizatur. Et sic proceditur.

Symbolum principiatiuum affectus sacrificialis ecclesiae est symbolum proprium eiusdem affectus.

Atqui sacrificium eucharisticum est symbolum principiatiuum affectus sacrificialis ecclesiae.

Ergo sacrificium eucharisticum est symbolum proprium eiusdem affectus.

Maiores potest dici per se evidens: asserit enim symbolum principiatiuum alicuius affectus principiatiue sumpti est symbolum proprium eiusdem affectus principiatiue sumpti.

Attamen maior potest generalius demonstrari ita ut includatur etiam affectus sacrificialis ecclesiae terminatiue sumptus.

Nam illud symbolum est proprium quod analogice proportionatur ad perfectionem symbolizandam (id quod est definitio symboli proprii).

Atqui symbolum principiatiuum analogice proportionatur ad perfectionem principiatiuam (in omni enim principio causali datur saltem proportio analogica ad principiatiuum).

Ergo symbolum principiatiuum est etiam symbolum proprium.

De Notione Sacrificii.

Quod est symbolum affectus sacrificialis ecclesiae videtur per se evidens; nam symbolum affectus sacrificialis Christi eo ipso est symbolum omnis veri affectus sacrificialis quatenus affectus sacrificialis est. Remanet ergo ut monstratur hoc symbolum esse proprium.

Minor remanet demonstranda: nempe sacrificium eucharisticum esse symbolum principiativum affectus sacrificialis ecclesiae (utique principiative sumpti).*

Et hoc tripliciter demonstratur: primo ratione commemorationis sacrificii crucis; secundo ratione applicationis eiusdem; tertio ratione procuratae participationis eiusdem in caena sacrificali.

Primo ergo ratione commemorationis.

Quod membris ecclesiae commemorat sacrificium crucis est symbolum principiativum affectus sacrificialis in membris.

Atqui sacrificium eucharisticum membris ecclesiae commemorat sacrificium eucharisticum.

Ergo ratione commemorationis sacrificium eucharisticum est symbolum principiativum affectus sacrificialis ecclesiae.

Maiores: nam commemorando exterius excitat ad affectum sacrificialem; exempla enim trahunt, et maxime illud exemplum de quo ipse Christus, "Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum" Io. 12, 32.

Minor: "Hoc facite in mei memoriam." Praeterea, DB 938.

Secundo ratione applicationis.

Praenota: ne sit confusio inter operationem sacrificii et sacramenti; sacramentum efficit id quod significat; sed non esset verum dicere sacrificium significare affectum sacrificialem ideoque talem affectum efficere. Alia enim et profundior est operatio sacrificii unde derivatur et ipsa virtus sacramentorum et praeterea voluntas ut recipiantur et dispositiones quibus fructuose recipiantur.

Unde sic proceditur.

Quod applicat sacrificium crucis est principiativum affectus sacrificialis membrorum ecclesiae.

Atqui sacrificium eucharisticum applicat sacrificium crucis.

Ergo est principiativum affectus sacrificialis membrorum.

Maiores: quod applicat sacrificium crucis est natum aptumque a Deo propitiato impetrare ut membris ecclesiae donetur cum alia sanctitas tum principalis illa sanctitas quae est rectitudo affectus erga Deum et ideo affectus sacrificialis.

Minor: doctrina solennis Tridentini (DB 938) et theologorum (e.g. III, 83, 1).

Tertio, ratione procuratae participationis.

Quod procurat participationem sacrificii crucis, procurat assimilationem membrorum affectus membrorum ad affectum sacrificialem Christi.

Atqui sacrificium eucharisticum procurat participationem sacrificii crucis.

Ergo procurat assimilationem affectus membrorum ad affectum sacrificialem Christi, ideoque est principiativum affectus sacrificialis ecclesiae.

Maiores: nam in participatione sacrificii crucis per communionem spiritualem et maxime per communionem sacramentalem, efficitur intima unio inter Caput et membra et assimilantur affectus membrorum cum ad alios affectus Capitis tum maxime ad affectum sacrificialem Capitis.

Minor: sacrificium eucharisticum procurat participationem sacrificii crucis, nam est idem sacrificium sola offerendi ratione diversa (DB 940) et in hoc sacrificio membra communicant communicare debent saltem spiritualiter (DB 944).

d) Deinde, sicut supra ratione analogicae proportionis inter principium et principiatum, ita nunc ratione exterioris apparentium, ratione institutionis, ratione realis coniunctionis, demonstrandum est sacrificium eucharisticum esse symbolum proprium affectus sacrificialis membrorum principiative sumpti.

Primo, ratione exterioris apparentium ingreditur ecclesia cum in rem oblatam tum in ipsam oblationem sacrificii eucharistici.

Ingreditur in rem oblatam: aqua enim vino admiscetur ut repraesentaretur unio ecclesiae cum suo Capite in hoc sacrificio (DB 945).

Ingreditur in ipsam oblationem: nam sacrificium eucharisticum fit sacerdotum ministerio (DB 940); qui sacerdotes sunt ministri publici ecclesiae (DB 944); unde et ipsa ecclesia immolat Christum (DB 938).

Secundo, ratione institutionis.

Ecclesia enim est sponsa illa sancta et immaculata (Eph. 5, 27) quae tamen nullum aliud symbolum proprium affectus sui sacrificialis agnoscit quam sacrificium eucharisticum. Quae lex et institutio, cum sit iure divino, clare et distincte demonstrat sacrificium eucharisticum esse proprium symbolum affectus sacrificialis ecclesiae.

Tertio ratione realis coniunctionis.

Idem est principium cum affectus sacrificialis ecclesiae tum etiam ipsius membrorum coadunationis ad Christum et inter se.

Hoc idem principium est Christus sub speciebus panis et vini.

Quod est principium affectus sacrificialis ecclesiae est iam demonstratum.

Quod est principium coadunationis corporis mystici alibi demonstrabitur (Cf. De la Taille, MF, eluc. 36-38).

In eo ergo Corpore, unde ecclesia est corpus, exhibetur tamquam in suo fonte et principio affectus sacrificialis ecclesiae.

Datur ergo in sacrificio eucharistico coniunctio dinamica inter symbolum et symbolizata, sicut in cruce dabatur coniunctio physica et in vetere lege coniunctio moralis.

Obiecerit tamen quispiam: pariter valere has rationes circa affectum sacrificalem membrorum terminative sumptum quam circa eundem affectum principiative sumptum.

Respondetur quod non pariter. Nam haec fere omnia in ipsam essentiam sacrificii eucharistici ingrediuntur. E contra, constat actualem illum affectum sacrificalem ecclesiae qui terminative sumitur (puta, affectus sanctorum commemoratos, affectum celebrantis, stipem dantis, adstantium, etc.) non intrare nisi accidentaliter in hoc sacrificium.

e) Hactenus de affectu sacrificali membrorum prout existit in causis suis, primo, in anima Christi, deinde, in sacrificio crucis, tertio, in sacrificio eucharistico.

Iam est agendum de affectu sacrificali ecclesiae prout est in effectu, seu prout terminative existit in mentibus cordibusque Christianorum.

Porro, circa hunc affectum terminative sumptum datur duplex consideratio: considerari enim potest, primo, tamquam principiatus seu quatenus totus derivatur ab affectu sacrificali Christi; sed etiam considerari potest prout est affectus in tali subiecto, puta, in Petro vel Ioanne vel alio quolibet.

Proinde, affectus sacrificalis membrorum terminative sumptus, prout tamen totus derivatur ab affectu Christi, proprie symbolizatur per proprium symbolum affectus Christi.

Alia ex parte, affectus sacrificalis membrorum prout est affectus in tali et tali persona, proprie repraesentatur per aliquam actionem manifestativam istius-personae- affectus istius personae.

Iam vero secundum utramque considerationem affectus sacrificalis membrorum habet proprium suum symbolum per ministerium sacrificii eucharistici, nempe, omnia procurando, parando, faciendo ad dignam huius mysterii celebrationem, sive exterius sive interius.

Sicut enim affectus actu existens membrorum totus quantus derivatur ab affectu Christi, nullum aliud proprium symbolum haberi potest nisi symbolum proprium affectus Christi.

Quatenus ergo membra ministerialiter concurrunt ad tale symbolum efficiendum, manifestant suum affectum eumque in proprio suo proximo principio manifestant; et quidem unusquisque secundum gradum suum in corpore mystico hierarchice organizato.

Attamen, non essentielle sed accidentale est sacrificio eucharistico repraesentare affectum sacrificalem membrorum terminative sumptum.

Nam quantum ad id quod repraesentatur, semper est idem affectus sacrificalis Capitis.

Quantum vero ad modum quo repraesentatur, nihil essenziale addit affectus sacrificalis actualis membrorum sicut nec quidquam essenziale demit defectus sanctitatis: nam "illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest" DB 939.

f) Quibus dictis conclusiones sunt colligendae.

Sacrificium eucharisticum est proprium symbolum affectus sacrificalis Christi capitis, primo, prout repraesentatur in sacrificio crucis, secundo, prout ad membra derivatur per sacrificium eucharisticum multiplicandus, tertio, prout in membris cooperantibus iam est multiplicatus.

Est ergo sacrificium eucharisticum symbolum proprium affectus sacrificalis corporis Christi mystici, tam Capitis quam membrorum; essentialiter quidem est symbolum huius affectus qui est in Capite et a Capite in membra derivatur; accidentaliter vero est symbolum eiusdem affectus actu derivati.

6. De causis sacrificii.

Hactenus de sola essentia actum est, nempe, de eo quo sacrificium est sacrificium. Iam ad considerationem latiore proceditur et distinguuntur ~~et~~ variae causae.

a) Causa exemplaris.

Causa exemplaris sacrificii est id quod repraesentatur, scilicet, sacrificium invisibile quo anima se offert Deo, seu affectus sacrificialis.

Quemadmodum subiectio totalis animae ad Deum sit centrum sanctitatis et iustitiae, vide Ia, q. 95, a. 1; I-II, q. 113, a. 1; etc.

Haec interna oblatio et immolatio animae communiter dicitur "sacrificium improrie dictum" quia non est symbolum; forsitan convenientius diceretur "sacrificium invisibile" "sacrificium exemplare" "sacrificium eminenter sumptum;" est enim unde sit ~~et~~ sacrificium et quo tendat.

b) Causa finalis.

Sacrificia esse in honorem cultumque Dei inter omnes constat; sed quemadmodum hoc sit, perspicendum.

Omnia ergo sunt propter Deum, causam finalem, tripliciter: absolute, quatenus ~~est~~ est ultimus finis-qui universitatis creatae; horizontaliter, quatenus omnia tendunt ex natura sua ad aliquid constituendum quod est participatio quaedam perfectionis divinae. verticaliter, quatenus concrete in universo hierarchico inferiora quaeque ita ordinantur in superiora ut totum sit ad ipsum Deum attingendum.

Iam vero sacrificium potest dupliciter considerari: primo, materialiter prout est res quaedam actioque, et sic est propter Deum secundum datum modum triplicem sicut quaelibet alia res vel actio; secundo, sumi potest sacrificium formaliter prout est symbolum proprium affectus sacrificialis, et sic sacrificium est obiectiva et symbolica agnitio atque approbatio ipsius huius triplicis finalitatis omnium rerum in Deum.

Unde finalitas sacrificii formalis est esse compendium quoddam symbolicum finalitatis universi in Deum.

c) Causa efficiens.

Causa efficiens sacrificii est causa quae efficit ut constituatur symbolum proprium affectus sacrificialis.

Non omnis causa efficiens est etiam offerens sacrificium: Deus enim primum agens efficit omnia sacrificia sed sibi ipse non offert sacrificia.

Offerens sacrificium est duplex: principalis et ministerialis.

Principalis est causa per se, efficiens, proxima, sua virtute proportionata: unde colliges non Iudaeos deicidas obtulisse sacrificium crucis; non enim erant causa per se quibus praeter intentionem fiebat hoc sacrificium.

Ministerialis: est causa per se, efficiens, proxima, sed per virtutem alienam proportionata.

Ministerialis est duplex: quae ministrat proprio nomine, et sic ecclesia quae est corpus mysticum ministrat et offert; quae ministrat nomine alterius, et sic celebrans ministrat nomine ecclesiae.

d) Causa honestatis sacrificii.

Late dicitur omne quod confert ad hoc quod sacrificium sit honestum: offerens, oblatum, finis intentus, circumstantiae.

Stricte habetur ex honestate ~~affertium~~ offerentium sive principaliter sive etiam ministerialiter modo proprio nomine agunt.

Unde sacrificium eucharisticum inquinari non potest: non ex offerente principali qui est Christus impeccabilis; non ex ministerio ecclesiae quae est sponsa illa sancta et immaculata de quo Eph. 5, 27. Ministerium vero celebrantium, etc., fit alieno nomine neque ipsum sacrificium afficit nisi accidentaliter per complementum extrinsecum.

e) Causa acceptationis sacrificii.

Sacrificio offertur Deo colendo, propitiando, gratis donando, impetrando.

Quod si a Deo acceptatur, pro divino beneplacito est. Tamen hoc non est intelligendum ac si Deus pro lubito irrationabili hoc acceptat et illud reicit sacrificium. Sensus est Deum sicut facit ut sacrificia offerantur etiam facere ut offerantur acceptabilia et oblata acceptantur pro divina sua sapientia et providentia.

f) Causa materialis.

Idem dicit quod oblatum, immolatum, victima, hostia, donatum, sacrificatum (utique materialiter sumpta).

Est illud subiectum quod est symbolum proprium affectus sacrificialis; est res significans, repraesentans, symbolizans; et quidem prout fit praecisio ab obiectiva significatione, repraesentatione, symbolizatione.

Propter mysticum sacrificium eucharisticum quod constat elemento apparente et elemento latente, fit distinctio inter causam materialem substantialem et causam materialem modalem.

Causa substantiæ materialis substantialis est subiectum substantiale in quo fit repraesentatio, significatio, symbolizatio propria alicuius affectus sacrificialis; puta, corpus DNIC.

Causa materialis modalis est species externa sub qua latet causa materialis substantialis; puta, sub specie propria vel aliena.

g) Causa formalis.

Est ipsa propria repraesentatio, significatio, symbolizatio alicuius affectus sacrificialis.

Est hostia, victima, oblatum, immolatum, donatum, sacrificatum formaliter sumptum; puta, non qua talis res sed praecise qua hostia, etc.; seu est talis res non qua res sed praecise qua symbolum proprium affectus sacrificialis.

Porro, propter mysticum sacrificium eucharisticum in quo datur et elementum latens et elementum apparens dantur et utrisque habetur proprietates symbolizationis seu significationis, distinguuntur causa formalis quoad substantiam et causam formalem quoad modum.

Causa formalis quoad modum invenitur in exterius apparentibus, puta, cruenta vel incruente, sub-specie per ministros vel sine ministris, et eiusmodi.

Causa formalis quoad substantiam invenitur in iis elementis propriae repraesentationis quae exterius non apparent, puta, *significationem*, institutionem, realem coniunctionem, etc., quae intellectu conspiciuntur.

h) Nota de sensu quorundam verborum.

Quadrupliciter ergo dici possunt "oblatio" "immolatio" "donatio" "victimatio" et eiusmodi.

Primo eminenter quatenus dicunt interiorem oblationem sacrificii invisibilis quo anima se offert Deo. Quod eminens esse convenienter dicitur, nam ex invisibili sacrificio caetera omnia profluunt.

Secundo formaliter quatenus dicunt ipsam propriam representationem seu symbolizationem affectus sacrificialis.

Et hic usus subdividi potest in formaliter quoad modum et formaliter quoad substantiam, utique ratione singularis sacrificii eucharistici quod est consummatio et perfectio caeterorum omnium veteris legis (DB 939).

Formalis quoad substantiam est oblatio, immolatio, donatio, etc., quatenus obiective verum est quod Christus suum corpus et sanguinem offert, immolat, donat.

Formalis quoad modum est oblatio, immolatio, donatio, etc., quatenus obiective verum est quod cruenta vel incruente, ~~sub~~ specie propria vel specie aliena, sine ministerio sacerdotum vel cum ministerio sacerdotum Christus suum corpus et sanguinem donat, offert, immolat.

Denique materialiter dicitur oblatio, donatio, immolatio quatenus adest modus formalis praecisione facta a ratione sacrificii: puta, id quod sensu et phantasia ducti homines censent essentiam sacrificii, nempe, sanguinis cruentam effusionem, corporis mortem vel combustionem, altare, calicem, panem, sacrorum verborum pronuntiationem, vestimenta, candelas, etc.

i) Nota de fundamento datae distinctionis.

Primo, cum sacrificium ~~in~~visibile sit invisibilis sacrificii sacramentum, ineptum prorsus est procedere a modo materiali (puta, sanguinis effusionem) ad rationem oblationis, donationis, immolationis. Sed procedendum est a sacrificio invisibili suaque interna oblatione ad eandem qua ~~representandam~~ representatam ut ultimo loco ad materialium modum representationis perveniamus.

Secundo, quantum ad distinctionem inter oblationem, immolationem, formalem quoad substantiam et quoad modum attinet, fundamentum est concilium Tridentinum.

Sanctissima enim synodus nominat pariter sacrificium crucis et sacrificium eucharisticum cum oblationem tum immolationem:

"semel se ipsum in ara crucis... oblaturus erat" DB 938

"sub speciebus panis et vini... obtulit" DB 938

"se ipsum ab Ecclesia per sacerdotes... immolandum" DB 938

"in Missa... Christus... incruente immolatur qui in ara crucis semel se ipsum cruenta obtulit" DB 940.

Deinde, sanctissima synodus asserit identitatem quamdam inter crucem et missam: "Una enim eademque est hostia; idem nunc offerens..." Sed addit differentiam in ratione offerendi, quae differentia, quatenus a concilio proponitur in eo est quod alia cruenta, alia incruenta, alia sub propria specie, alia sub speciebus panis et vini, alia sine sacerdotum ministerio, alia cum tali ministerio. DB 938, 940.

Quae omnia simul sumpta solidum praebent fundamentum distinguendi inter rationem formalem quoad substantiam et quoad modum: quoad substantiam ratio formalis est quod Christus corpus suum obtulit seu immolavit; quoad modum ratio formalis est quod fecit cruenta vel incruente, sub specie propria vel aliena, sine vel cum ministris.

j) De effectibus seu fructibus sacrificii.

Effectus proprius sacrificii est eiusdem finis intrinsecus seu forma, nempe, constitutum symbolum proprium affectus sacrificialis.

Quod si hoc symbolum constitutum a Deo acceptatur, accedunt qui dicuntur fructus sacrificii.

Fructus primarii sunt cultus honorque Deo datus, Dei propitiatio, Deo gratiae actae, petitiones ad Deum delatae modo acceptabili et acceptato.

Fructus secundarii sunt qui in hominem a divina largitate redundant: peccatorum remissio, poenarum satisfactio, gratiarum donatio, petitionum exauditio.

7. De differentia sacrificiorum crucis et missae.

"Unum itaque et idem sacrificium esse fatemur, et haberi debet, quod in missa peragitur, et quod in cruce oblatum est; quemadmodum una est et eadem hostia, Christus videlicet dominus noster, qui seipsum in ara crucis semel tantummodo cruentum immolavit. Neque enim cruenta et incruenta hostia, duae sunt hostiae, sed una tantum; cuius sacrificium, postquam Dominus ita praecepit 'hoc facite in meam commemorationem' in eucharistia quotidie instauratur.

"Sed unus etiam atque idem sacerdos est Christus dominus. Nam ministri qui sacrificium offerunt faciunt, non suam, sed Christi personam suscipiunt, cum eius corpus et sanguinem conficiunt. Id quod et ipsius consecrationis verbis ostenditur. Neque enim sacerdos inquit 'hoc est corpus Christi' sed 'hoc est corpus meum': personam videlicet Christi domini ~~gerens~~ gerens, panis et vini substantiam in veram eius corporis et sanguinis substantiam convertit.

"Quae cum ita sint, sine ulla dubitatione docendum est, id quod sancta synodus explicavit, sacrosanctum missae sacrificium esse non solum laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii, quod in cruce factum est; sed vere etiam propitiatorium sacrificium, quod Deus nobis placatus et propitius redditur. Quare si puro corde...

Catechismus Romanus, Conc Trid, Pars II, Cap. IV, 76, 77, 78.

E quibus colligitur dare unitatem quamdam identitatemque inter sacrificium crucis et missae, unde hoc non nuda commemoratio sed vere propitiatorium sacrificium.

Quod quidem communi loquendi modo confirmatur: nemo enim de sacrificiis novae legis loquitur sed de sacrificio novae legis.

Quemadmodum vero detur haec unitas, quaestio perplexa est sed, uti opinor, fundamentalis prorsus. Nam si resoluta fuerit, omnes alias quaestiones facile resolutum iri videtur.

Sic ergo quaestio ponatur: utrum unum numerice idemque sit sacrificium crucis et sacrificium missae. Cf. D.T.C. 10: 1286-89.

Dicitur primo: non datur quoad omnia unitas identitasque numerica. Probatur: contradictorie opponuntur "cruente" "incruente"; "sub specie propria" "sub specie aliena"; "sine ministris" "sacerdotum ministerio"; unde saltem ratio offerendi differt. Cf. DE 938, 940.

Dicitur secundo: non omnino potest negari omnis unitas identitasque numerica.

Hebr. 9: 25 "non ut saepe offerat"

Hebr. 9: 28 "semel oblatus est"

Hebr. 10: 12 "unam pro peccatis offerens hostiam" ubi "offerens" stat pro aoristo "prosenegkas" et totum opponitur "easdem saepe offerens hostias"

Hebr. 10: 14 "una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos"

Conc. Trid. "vere propitiatorium esse.... Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens... sola offerendi ratione diversa" DB 940.

Cat. Rom. "unum idemque sacrificium" "neque cruenta et incruenta hostia, duae sunt hostiae" unde "vere propitiatorium" neque "nuda commemoratio"

Dices: possunt fieri distinctiones: non saepe offert cruenta; semel oblatus cruenta; una hostia materialiter spectata, scil. idem corpus quod saepius offertur et sacrificatur; unum idemque sacrificium ratione hostiae materialiter spectatae et offerentis materialiter sumpti; non duae hostiae materialiter, sed duae formaliter.

Respondeo: concedo has distinctiones fieri posse cum maiori vel minori ratione; melius probabiliusque opinari quis videtur qui distinctionibus non indiget quibus non indiguit S. Paulus, C. Trid., Cat. Rom.; denique addatur ratio theologica.

Si aliud sacrificium additur sacrificio crucis, hoc videtur aestimari insufficiens. Contra, si idem sacrificium, ~~etiam~~ clarissime constat cum sacrificio crucis esse sufficiens tum sacrificio i missae non esse nudam commemorationem sed vere propitiatorium. Et haec videtur argumentatio concilii Tridentini et Cat. Rom.

Unde ad solutionem problematis.

Primo, non agitur de sacrificio invisibili Christi, de sacrificio eminenti quod interius mente et corde perficitur.

Praeterea, hoc sacrificium qua praesuppositum non facit difficultatem specialem: si enim sacrificium crucis et missae est aliqua ratione numerice unum idemque, pariter actus intellectus et voluntatis quibus fit hoc numerice unum sacrificium potest esse unus idemque actus humanus. Si enim multa inter se ordinantur, per modum unius intelliguntur et voluntur.

Praeterea, etiamsi multa sacrificia invisibilia et eminentia, (quod non conceditur), tamen nihil sequitur de unitate vel multiplicitate sacrificii formalis.

Secundo, generice omnia sacrificia sunt eadem, nam omnia sunt symbola.

Tertio, specificè ratione affectus sacrificialis representati, idem est sacrificium crucis et missae. Idem enim semper symbolizatur affectus sacrificialis Christi morientis.

Dices: etiam symbolizatur affectus sacrificialis ecclesiae.

Respondetur: directe, Nego; consequenter, Concedo. Symbolizato affectu sacrificiali Xti, omnis similis affectus per consequens symbolizatur.

Instas: ergo pariter in cruce et in eucharistia symbolizatur affectus sacrificialis ecclesiae, nempe, per consequens.

Respondetur: quatenus datur repraesentatio, Concedo; quatenus haec repraesentatio est propria, Nego; proprietas enim pendet non solum ab eo quod repraesentatur sed etiam a modo quo repraesentatur.

Quarto, eadem numerice est causa materialis substantialis tam in sacrificio cruds quam in eucharistia.

Idem enim num rice est Corpus et Sanguis Domini; id quod offertur, immolatur, victima vel hostia fit.

Quinto, causa formalis in sacrificio est illud esse intentionale et obiectivum quod adest "in repraesentatione propria affectus sacrificialis."

Quinto, causa formalis in sacrificio est id quo subiectum seu causa materialis fit symbolum proprium affectus sacrificialis.

Et sub hoc aspectu aliquatenus identitas, aliquatenus diversitas invenitur in cruce et in eucharistia.

Idem numerice est affectus sacrificialis Christi morientis, qui immediate in cruce, mediate in eucharistia repraesentatur. Nam eucharistia est symbolum proprium affectus sacrificialis Christi morientis eo quod est symbolum proprium affectus sacrificialis sacrificii crucis.

Idem numerice esse intentionale, quod in cruce manifestat affectum Christi sacrificalem, in eucharistia manifestatur. Aliter, esse intentionale quod in cruce est ipsa obiectiva repraesentatio, symbolizatio, manifestatio, in eucharistia est obiective repraesentatum, symbolizatum, manifestatum.

Idem numerice esse intentionale quod in cruce/facit ut corpus Christi sit formaliter hostia, victima, immolatum, oblatum, symbolum proprium affectus sacrificialis, in eucharistia adest per modum repraesentati et facit ut corpus Xti sit formaliter hostia, victima, immolatum, oblatum, symbolum proprium affectus sacrificialis; nam eucharistia, eo quod repraesentat sacrificium crucis, est sacrificium.

Unde esse intentionale numerice idem duo facit

- a) per modum manifestantis facit ut sacrificium crucis sit sacrificium;
- b) per modum manifestati facit ut sacrificium eucharisticum sit sacrificium.

Attamen quot sunt sacrificia, tot sunt esse intentionalia seu causae formales.

Praeterea, unum est esse intentionale principale quod adest in sacrificio crucis et efficitur cruenta per realem immutationem non solum accidentalem sed etiam substantialem corporis (qui moritur) et sanguinis (qui effunditur) a solo summo pontifice offerente, DNIC.

Et alia sunt esse intentionalia secundaria, quae sunt causae formales sacrificii repraesentando principale esse intentionale, quae fiunt incruente, nullatenus Christo immutato, sub specie aliena existente, ab eodem sane summo pontifice offerente tamen sacerdotum ministerio. Et ex his adiunctis haec sacrificia sunt symbola propria affectus sacrificialis non solum Capitis sed etiam membrorum.

Unde concluditur:

Numerice idem est sacrificium crucis et sacrificium eucharisticum:

- a) quatenus idem numerice affectus sacrificialis repraesentatur.
- b) quatenus ab eodem numerice offerente principali repraesentatio efficitur.
- c) quatenus in eodem numerice Corpore et Sanguine repraesentatio efficitur.
- d) quatenus idem numerice esse intentionale per suam praesentiam est causa formalis seu repraesentatio propria in cruce et in eucharistia est per suam repraesentationem formale formalis faciens ut aliud esse ~~et~~ intentionale sit repraesentatio propria.

Sacrificium eucharisticum est et absolutum et relativum

- a) absolutum quia est symbolum proprium affectus sacrificialis
- b) relativum quia est tale symbolum mediante alio sacrificio

Sicut se habet sacrificium eucharisticum ad sacrificium crucis, ita se habet sacrificium crucis ad affectum sacrificialem Xti morientis.

Sicut affectus sacrificialis Christi morientis non additur ut quid diversum sacrificio crucis: est enim sacrificium invisibile huius visibilis sacrificii; ita etiam sacrificium eucharisticum non additur ut quid diversum sacrificio crucis: est enim sacrificium perpetuum unice, peracti sacrificii.

et tunc

8. De valore peractae inquisitionis.

haec

Analysis/sacrificii eucharistici substantialiter coincidit cum analysi P. Gabrielis Vasquez; quam recenter amplexi sunt Goetzmann, Souben, Schepens, Lesêtre, Lebreton, Coglan, Rickaby, Sanda.

Evitatur tamen defectus logicus in systemate Vasquezii quatenus omne sacrificium ponitur in genere symboli et divisio fit inter symbola immediate et mediate repraesentantia.

Unde salvatur ratio sacrificii absoluti quae obscuratur in theoria Vasqueziana, ~~et~~ praeterea, per notionem symboli proprii, explicatur cur praesentia realis requiritur ut sacrificium eucharisticum sit vere et proprie sacrificium; hoc enim requirit Vasquez sed cur requirat, non explicat. *Practica, explicatur doctrina Augustini de sacrificio Corporis Mystici, Tridentini excommunicationem, applicatam, participationem sacrificii crucis, N. a. non accidit.*

Valor analyseos est in eo quod systematice et cohaerenter videtur salvare salvanda. Procedit a datis positivis sive revelationis ipsius sive doctrinae ecclesiae et theologorum; horum datorum ordinationem quaerit secundum illud S. Thomae, sapientis est ordinare.

Quantum ad tritam objectionem contra theoriam Vasquezii, nempe, repraesentatio sacrificii non est sacrificium sed sacrificii simulacrum, respondetur.

Primo, omne sacrificium visibile est in genere simulacri, nempe, symbolum est affectus sacrificialis seu sacrificii invisibilis.

Secundo, non omne simulacrum est sacrificium, sed illud quod proprie repraesentat affectum sacrificialem.

Tertio, sacrificium eucharisticum est proprium symbolum affectus sacrificialis, ideoque verum et proprium sacrificium.